panз.

Stefanowski Cyprian: Novus Salomon Sanctissimus Praeceptor Doctor angelicus —

NOVVS SALOMON

SANCTISSIMVS PRÆCEPTOR DOCTOR ANGELICVS ET ECCLESIÆ.

Pro posse humano laudibus euectus,

ET

Ad ædes Prædicatorias S. P. Dominico dicatas Posnaniæ peroratus.


PER

Fratrem CYPRIANVM STEPHANOWSKI
Professum eiusdem Ord.

Anno Domini 1640. die 7. Martij.

POSNANIÆ,

IN OFFICINA ALBERTI REGVLI.



En bina constringit soleam crux intus & extra
Stemmata Baykowski vendicat ista sibi
Nobile pectus habet solea quod lamina signat
Viribus infractæ, crux bina semper adest
Crux interna fides est, quam sub pectore gestat
Gestat & externam munus at ista notat

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. IOANNI DE ZALESIE BAYKOWSKI

DEI & SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ Gratia. Episcopo Ennensi. Archidiacono Srzemensi. Suffraganeo Posnaniensi.

Domino Fautori Studiorum & Patrono colendissimo.

Fr. CYPRIANVS STEPHANOWSKI Professus Ord. Præd. perpetuam perrennitatem precatur.

CVM omnium penitus animos sublimes Tuæ virtutes occuparēt ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME D. tum etiam hæc non postremum locum sibi vendicare videtur, quod integritatem & dignitatis & vitæ cum summa doctrina & animi magnitudine copulaueris; nam eo ipso Tuas ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ Celsitudinis virtutes, inter se cognatas ac collocatas, sub vnū adductas illustras, rectiusq; ac ad facilius inuestigandum, non solum quibuslibet, sed & mihi fama earundem laudabilium, ac quotidiana experientia edocto, longius laudandi præbes argumentum; Tantum enim in me ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ Celsitudinis Tuæ laus

& fama boni nominis, calcar stimulumq́ excitauerunt, vt demandatū mihi & commissum munus laudatorium, Noui Salomonis (cuius sicut scientia, ita & virtutes apud te primas tenent) perorandum ab A. R. P. F. Antonio Winko Sac. Theol. Bac. ac studij nostri Regente, cuinam offerre deberem, non cuiuis alteri, sed Tuæ Illustriss. & Reuerendiss. Celsitudini, de iure, & meritò videbatur: tum propter non vulgarem erga nostrum Ordinem à multo interuallo tēporis conceptā beneuolentiā, apertissimè & clarissimè comprobatā, tum etiā propter tuas animi dotes eximias, quæ adeò maximæ præstantissimæ atq́ innumeræ in Tua Illustrissima & Reuerendissima Celsitudine reperiuntur, vt exercitatissimum quemq́ possint euincere, & in dicendo peritissimis, locum vix relinquant. Etenim tantam in Te vt vidi erga omnes comitatem, affabilitatem, erga pusillos humanitatem, in omnibus operibus consilij & optimi iudicij rectitudinem, mores honestos doctrina adornatos, viribus me propemodum destitutum præ admiratione cognoui. Verum quidem est multos alios Principes virtutibus claros effulgere, sed cum affab li in omni conuersatione mansuetudine rarā Phænicem temetipso reperiri fas est, quæ Te adeò illustrāt vt neq́ Hesperus, neq́ Lucifer in cæli regione, vt hæc virtus in Te maximè apparet admirabilis. Nam si velimus perpendere vim, eâ & ciuitates contineri, & Regna, multos fecisse Principes immortales discimus, illa deficiente Principum Dominia & Regna corruisse legimus. Quantum verò Illustrissime & Reuerendissime Domine illa & singulari humanitate, ne dicam Ordinem meum sed & alios, ne dicam alios, sed omnium Christicolarum animos Tibi conciliaueris ac deuiceris, omnes vno fatentur ore ac admirantur; vt & ego ipse vbi campus se mihi offert spaciosissimus & fertilitate magna ad dicēdum facundissimus loqui nequeam. Nec immeritò, agnoui enim te Illustrissime & Reuerendissime Dńe, adeò sapientia esse instructum, (quodq́ maximè cuilibet Præsuli necessum est vtriusq́ iuris titulo gaudere,) celsam, firmā, ac saluberrimam doctrinam, Noui Salomonis, Præceptoris Sanctissimi, Principis ac Parentis Theologorum, Doctoris Angelici & Ecclesiæ sectantem, vt parem in numerum tuum coaptare difficillimū sit; ea efficis, vt qui Te cōtemplatur, bonis instruatur moribus, Christianissimè viuat, Catholicissimè se in omnibus cōponat, eis commodis subuenis exemplis, speculū enim ad imitandum in quouis gradu dignitateuè moribus Sanctissimis virtutibus integerrimis

mis

mis in tota Polonia effectus es. Agnouit & tota communitas nostra, quod quemadmodum Nouum Salomonem Sanctissimum Doctorem Angelicum & Ecclesiæ summo prosequeris honore, in Prædicatoria familia educatum, non immemor cæterorum, Te clementem piumq́ nobis omnibus præstas, quippe quod maximum est, nullum liberalitatis, humanitatis, munificentiæ munus prætermittis, atq́ ita Tuam in nos charitatem, atq́ munificentiam perspectam exploratamq́ habemus, vt nemini nostrum dubium moueat, quin nos omnimode amore prosequi velis. Hanc itaq́ Illustrissime & Reuerendissime Dñe, laudem Doctoris Sanctissimi opella aliqua mea elaboratam, sub auspicato Nomine Tuo dicatam, perhumanè suscipito, eius Sanctissimi Præceptoris vtere colloquio, sitq́ Tibi in omnibus clarissimis & excellentissimis dictis & factis Tuis comes fidelissimus, maleuolorum immutator, inimicorum prostrator, qui nunc iam prout Religiosus ex paupere diues (velut Iob) ex humili insignis (tanquam Mardochæus) regnans in cælis effectus est. Recipe itaq́ Illustrissimè & Reuerendissimè Dñe, hunc Summum Præceptorem Doctorē Angelicum & Ecclesiæ, Nouum Salomonem, aquam è Diuinis puteis, tibi proferentem ad sufferrenda maiora Reipub. Polonæ onera, ad sublimiores obeundas dignitates, & me fratresq́ meos amore non dedigneris prosequi. Deus, O. M. ILLVSTRISSIMAM & REVERENDISSIMAM celsitudinem Tuam vitæ incolumitate & nominis æternitate adsui Sacrosancti Nominis laudem ornatam ac illustrem esse velit, Vale, & viuas diu felix.

Suæ Illustrissimæ ac Reuerendissimæ

Celsitudinis

Seruulus

&

apud Deum exorator

Idem qui supra

SERMO ECCLESIASTICVS IN NOVVM SALOMONEM SANCTISSIMVM PRÆCEPTOREM D. THO. AQVINATEM DOCTOREM ANGELICVM & ECCLESIÆ.

SI præclaro ingenio pariq; eloquentia fretus essem ILLVSTRISSIME D. omnium virtutum genere cumulatissime, officium dicendi in laudem tanti splendoris orbis Christiani eminētissimi, Decoris eximij Ordinis Prædicatorū, Principis Theologorū, Sanctissimi Thomæ Aquinatis, facile me adimplere posse crederem; at quoniam tam arduum tamq; difficile negotiū, verendū mihi est, ne in hoc amplissimo ad dicendū loco splendor ac dignitas sapientiæ, Prouinciarū externarū & nostrarū Patroni, ingenij mei tenuitate, verborumque inopia imminuatur; Eius enim munus Ætna grauius obeundū, die hodierna mihi demandatū est, cuius sapientiam inenarrabilem Salomone maiorem, Liuius monumentis literarū exarare vix valeret, verbis comprehendere Demosthenes, præclaro delectu verborum Plutarchus explicare, cui ex disertissima ipsiusmet Tulij officina disertissimi Oratores essent deligendi; reuerberat penitus meos oculos, delicias Angelorum admirantes, interpretem Diuinarum virtutum spectantes, splendor lucidissimus, feruoris in DEVM, maiestatis virtutū obruit proculq; repellit. Nam si Eloquentissimos olim Oratores cum ad dicendum disserendumuè venissent vnius hominis aspectu ita conturbatos fuisse accepimus, vt obmutescerēt; quomodo ego qui neq; ingenio, neq; industria, neq; vsu aut exercitatione parem me illis sentio, in tanti fulgoris aciem mentis meæ dirigam? ad quem modum hoc splendidissimum iubar intuebor? Resplenduit ille sicut sol in templo Dei. eheu me incendio eius consumi vereor. si enim ad laudes eius accessero eloquendas, niuis instar frigidæ dissolui pertimesco. Resplendens iste sol radijs obcæcat visum, quomodo oculos ægros attolam ad eum meos? Quomodo lingua mea balbutiente nominis eius magnitudinem declamabo? Infantissima lingua mea, quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labijs, nec purgata igne Altaris, quid dignū laudi eius poterit depromere? Tamen amor superans timorē, & ardor cōtemplan-

templandi, vincens ignorantiam, me attolit, vt & ego vel minimam scintillam radiorum attingam eius; clarorum siquidem hominum eximias virtutes, & præclara facinora commemorare, tàm iustum, quàm pulchrum, atq; iucundum facillimumq; est, vt propterea etiã mihi omnimodè indiserto atq; impolito, non adeò tamen (Decus orbis Christiani, Lumen Ecclesiæ, Diuinissimum virum, eius vitæ speculum, ac normam omnifariam admirandã, cuius laudis dies hodiernus depromptus est, quamq; tot Oratores Prædicatores celeberrimi ac eximij, Magnates potentissimi Beatissimi ipsi summis laudibus celebrârunt) mihi videatur perplexũ laudare atque difficile. Hæc enim si quis ita se tractare posse confidat, vt rerum magnitudini orationis pulchritudo respondeat, eum oportet aut ita exercitatum esse in dicendo, vt facultate sua fretus, nihil sibi difficile atq; arduum pu-tet; aut ita inexercitatum, vt errore ductus, rerum pondera & momenta satis acutè atq; intelligenter perspicere ac diiudicare non possit. Neq; mihi alia res vlla perculsum ac debilitatũ hac cogitatione animum erigit ac cõfirmat, quam quod mihi apud vos dicendi munus demandatum est, qui tantum sapientia valetis, vt quanti quæq; res sit ex natura ipsius, non ex ijs quæ de ea dicuntur ponderetis, & eâ lenitate ac mansuetudine polletis, vt eis qui potius, quam officium deserant, eius onere oprimi malunt, facile ac libenter ignoscatis. Etenim beneuolentia vestra fretus, plus feram quam me ferre posse intelligo, tanta enim magnitudo rerum, tanta copia se offert, vt neq; possit quisquam (ne si mentiri velit) maiora confingere, neq; vera consectans, omnia tam breui temporis spatio persequi. Demonstrabo igitur Solem hunc lucidissimum, Decus eximium, electum ab vtero, Sanctum â puero, esse Nouum Salomonem, cuius scientiam, doctrinam, sapientiam, vniuersitas Philosophorum, Medicorum, Iure consultorũ, Theologorum, est exosculata. Te nunc obnixe rogo ILLVSTRISSIME D. faueas beneuolè attendendo; Tuq; cuius solennia colimus nominis sui collatori inunge collirio oculos meos, & ne videar deserere Angelorũ Dominam cuius ope ipse auxiliatus est, soluo honori Elogium.

Alma parens, tu nos custodi & numine Sancto
Fautori affer opem Diua benigna tuo.

Miraris forte Ill. D. quidnam importet comparatio viri Diuinissimi, Pauperrimi, Religiosisimi, cum maiestate Regis maximi Hæbreorum Salomonis, cuius diuitias potentiam, currus & æquitatus admirati sunt Reges

terræ

terræ, cuius maiestatem, sapientiã, mirabatur Regina Austri, cuius lectulũ sexaginta fortes ambigebant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Sed non mireris Ill. D. modo velis aures beneuolas præbere, licet enim Salomon præseferat Coronam Regiam, incessus, apparatus pomposos, adumbratos tamen vanitate; cernere autem meum Diuinissimum Virum si velis, Regio è sanguine ortum, auream in capite gerentẽ coronam, vestitum bysso & purpura aduertas; hac insignitum eum adhuc â pueritia constat, vel inde; dum à nutrice in balneo cum schedula inuentus esset, idq; nactus est perficere, cui vir togatus nõ valuit satisfacere. Virilem si requiris eum? Princeps Prouinciarum, circumdata varietate Ecclesia inquam S. vt vidit sapientiam eius, tota effusa est in admirabiles laudes filij sui; nec Spiritu deficit, vt olim Saba, sed toties quoties memoria dilecti sui recurrit, agit gratias Dño in excelsis, repudiat Salomonem antiquum, (qui cũ iuueniles ageret annos, omnia bona illaue honesta matri suæ pollicebatur, adultus vero quidquid nefandi inueterati sceleris excogitari poterat perpetrabat) gaudet laudando Salomonem Nouum, percurrit facta, scripta, opera eius, quem quot articulos tot miracula fecisse acclamat. Et vt olim Roma suos Duces: Camillum, Fabricium, Scipionem. Philosophi: Pithagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poetæ: Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici: Thucididem, Sallustium, Herodotum Liuium. Oratores: Lisiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium. Statuarij, Architecti, Naucleri, Nauarchæ vt cæteros prætereã, suos se habere gaudebant Apellẽ, Dedalẽ, Iasonẽ, ita illa de suo gloriatur Thoma Aquinate. Regina inquam à dextris Dñi, Domina gentium, splendorem & maiestatem sui Doctoris, quasi Noui Salomonis, vt primum vidit, tantumq; filium sapientia, & perfectissimum decore, stupet & miratur, & vt tantum Doctorem clarissimum, qui refulsit sicut sol in templo Dei, omni lapide prætioso vestiuit, & ornauit, circumdedit varietatibus, & quibus potuit donis gratiæ cumulauit: ita extulit, vt qui eum velit intueri, assereret non defuisse ipsi (quod Salomoni mater S. denegauerat) visum delectantem honestatem Smaragdinam. Qui clarum velit videre, videbit non defuisse claritatem Carbunculinam, Qui candidum, certo certius affirmabit, non defuisse huic sereno cælo Saphirinum candorem, manibus flãmam illuminantem Beryllinam. Venustatem corporis si videre velis? non defuit nigredo oculorum, vim ad admirandum mirabilia congregans Onichina, Faciei non defuit fulgor aureus Chrisolitinus, visum & oculos clarificabat viriditas Iaspidis coloris ætherei, Sardius deniq; suppeditabat ru-

borem

borem & ardorem, & vt alias dotes animi prætercam. Omnis lapis prætiosus operimentum, SSmi Doctoris fuit. Quis ergo non admirabitur tantam gloriam? quam (vt ipse aiebat) per donum gratiæ obtinere meruit. obtinuit summa capere, præualuit eadem nobis nunciare, electorum hominum merita transcendit, effugauit malignos spiritus, mira signa efficaciter operatus est, dominabatur in semetipso cunctis vitijs, sua & aliorum facta discutiebat, sapientia & scientia maxima pollebat, quam potius infusam non acquisitam eum habuisse constat, amoris & comtemplationi face accensus, in solo Conditoris desiderio anhelabat. Quis inquam non attonitus miretur? & vt olim enarrante Aenea pericula maris rerumq; discrimina.

Conticuere omnes intentiq; ora tenebant,

Quis totus in ad mirationem non rapitur? nam si eius egregias animi dotes, insitasq; virtutes inquirere contendimus, tot tantisq; exemplis eius vitæ abundamus, vt nihil horum quæ ad augendam eam conducunt deficiat. Cæterum ne quemadmodum in artificibus exemplariorum pelagus, nostræ quidem considerationis oculos hebetet, egenosq; efficiat, vt eius vitam æmulari & docto (vt aiunt) penicillo interna mentis nostræ effigiare ad eius exemplar possimus, è tam ampla Ecclesiæ Sanctæ sylua, vnum ego censeo, qui non solum Salomonem; sanctitate, miraculis, sapientia, superauit, quâ meruit effici æuiternus Doctor Angelicus & Ecclesiæ, sed quidquid olim Sapientissimi Sanctissimi, Religiosissimi oculis omnium Christicolarum obijciebat, Vir Sanctissimus Religiosissimus suo comprehendit ingenio. Intueri enim & reperiri licebit Sapientiam mirabilem Dionisij Areopagitæ, Athanasij rationes, delectum verborum Gregorij Nanzianzeni, allegorias Origenis, sententias Cypriani, ingenium Augustini, (qui eum parem in gloria sibi affirmauit, sed quod clarius est, virginali maiorem pudicitia,) eloquentiam Ambrosij, notitiam linguarum Hieronimi, ignitum Ignatij spiritum, ac vt paucis multa complectar, quidquid possunt habere, & continent Sanctissimi Doctores, quorum quidam Extatici, Seraphici, Subtiles, meruerunt appellari, totum id Decus eximium Religionis meæ comprehendit; talis procul dubio Diuinissimus Athleta effectus est, qui nimirum eum quem inter sydera sol, inter volucres Aquila, inter belluas Behemoth, inter gigantes Athlas, inter Israeliticos Saul, inter Principes Theologorum dignitatis gradum & locum iure sibi vendicat. Eo sanè nemo Sanctior, eloquentiorue, & omni

discipli

disciplina promptior, cui tam sublimis ingenij acies, tam immortalis memoria, tam in dicendo viuax acrimonia, in Religione pietas obedientia atq; obseruantia, vt inter mortales nec primum similem visus est, nec forte habere sequentem. quo factum est, vt quidquid eius operâ, in lucem prodijt subtile admodum sit, copiosum, succulentum, omnem redolens, in Sanctissimam Trinitatem, Beatissimam Mariam V. SS. omnes, religionem, animos ad pietatem afficiens, & Angelica scientia quosque erudiens, delectans, illiciens, transformans; nihil enim eũ constat docuisse, aut vnquam scripsisse, quod prius oratione à Deo non impetrauerit. Quæ quidem pietas & doctrina creuerunt ab ineunte ætate, acquotidie inmeliorẽ se florẽ exhibere in eo non desistebat; Crescebat sapientia Sanctissimus vir Doctor Angelicus & Ecclesiæ, cũ præsertĩ illusus à fratribus, consanguineis, licet in carcere apud Parentes positus, Fallaciarũ, non adolescente, sed quouis sene doctissimo, dignissimũ opus composuit, Totã perlegit Bibliã, Sententiarum librum per illud tempus edidicit; Crescebat & pietate, religione in DEVM, nam non aliter quam in Monasterio totus orationibus deditus, ieiunijs, vigilijs, ac cæteris corporis macerationibus vacauit; Sorori quæ ad illum crebro veniebat vt à Sancto proposito fratrem auerteret, ita suis verbis & adhortationibus rerũ terrenarũ contemptũ, ac verius odiũ ingenerauit, vt ab iis tanquã ex diro aliquo ergastulo, aut imminenti quodam naufragio aufugerit; maximè vero cum suam in Dominum DEVM pietatem declarauit, cum vbi fratres germani audissent, nulla ratione de sententia moueri potuisse eius inflexibilem animum, tantam iniquissimo animo constantiam ferentes, non desistere iurgiis, minis, terroribus, ab incepto, eum deterrere atq; maiori ira accensi, Sacrum iterum habitum Prædicatorum Ordinis dilacerauerunt, vt saltem pudore captus, illum deponere cogeretur sed cum omnes conatus suos irritos cernerent, maior fratrum indignatio & admiratio; iamq; non valentes vi & virtute maiori virium, venit in mentẽ, Iuuenẽ alia aggredi via & nouo atq; difficili pugnæ genere florem ætatis inuadere; calidissimum subordinarunt scortum, & ad solum, miserunt in cubiculum, vt blandicijs ac illecebris, Sanctum tentaret adolescentem Quid faciendũ sentitis A. O. mundus cum suis conatur decipere, decipiẽdo prosternere, & quasi Philistæus in arenam descendere cum sancto Adolescente; quid hic ageret pudicissimus Adolescens diabolicis illecebris ab impurissimo scorto circumdatus; sed non defuit consilium, ineundum putauit certamen periculosum, in arenam descendit pugnaturus cum eo cui mille nocendi artes, & non fefellit eum eius opinio; etenim fauentibus

Diuinis

Diuinis auſpiciis, & amatore caſtitatis puriſsimo cooperante, præcidit Diuiniſsimus Athleta enſes diſtrictos, caput ſcælerato Philiſtæo amputauit, vt enim mulier iuuenem aggreſſa eſt, arrepto ardenti torre magno, cum impetu de cubiculo expulit, & ita de ingenti ac plena diſcriminis pugna cum ſumma laude victoriam reportauit. O victoriam laudabilem, ô mentem reſolutam. Alter Achilles, aut tanquam veteranus miles, eexercitatus innumeris periculis & calamitatibus, ſummam retulit victoriã. Obſtupeſcite ſuper hoc & admiramini Adoleſcentis Sãcti cõſtantiã veteres, qui tot ſuis victoribus ſtatuas erexiſtis aureas, lapideas, plumbeas, æterno æuo duraturas: qui tot victores ſuos virentibus baccis, floridis coronis, aureis diadematibus coronaſtis; qui ſuis victoribus triũphales arcus, pyramides præaltas miro artificio erigere, aliis altaria ſurgere, quibuſdã incenſa & munera certis temporibus offerri mandaſtis. Egredimini & videte armanũ fortiã alicuius militis, num galeas, nũ arcus, & tormenta bellica; arma nõ ex acie prælij decerpta ſed ex acie virtutis. Forte putabitis aliquẽ ex Goliath viciſſe? victoriam enim grandeuis, vos adſcribi certum eſt. Forte ſuſpicabimini, Macedonem, Alexandrum, aut Octauium in arenam deſcendiſſe & viciſſe, qui laudem victoriâ ad poſteros ſibi comparant, ſed vos fefellit ſpes & opinio. Ecce Adoleſcens Prædicatorius ſupra ætatem animum virilem gerit, aſtutias aſpidum & baſiliſci calcat, draconis infernalis os obturat. Obſtupeſcere Salomon animum, arma non ex armamentarijs Cræſi, Cæſaris, Traiani, Octauiani deſumpta, ſed ex armamentariis virtutis. O Tyronem iuuenem Achille, Alexandro, fortiorem O puerum non humanum ſed Diuinum, in te miles ac Athleta cæleſtis extollendo iam deficio. Nondum eras par laboris per ætatem ſcientiarum, & iam ornamenta maximorum virorum poſsidebas, inte virtus non expectabat ætatem, in te cum ætate creuit virtutum cumulus. Sed vt ad doctrinam infuſam potius quam acquiſitam redeam, creuit & ſapientia, etenim non ſolum certificatus (à Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, S. Auguſtino & BeatiſsimoDominico Patre ac Patriarcha noſtro) proponendi materiam nactus eſt, ſed etiã quantus & quam quàm vtilis, in Eccleſia Dei futurus eſſet apparuit, quoniam ex ijs, quæ de montibus Diuinæ ſpeculationis accepit, totum quaſi Eccleſiæ agrum irrigauit, quia quam paſſim diffuſa ſit vtiliſsima & Diuina Sancti viri doctrina, quantum Sacris ſcriptis lumen ſit additum, quamq; facilem ſenſum ad illorum ſenſa percipienda monſtrauerit, nemo eſt quem lateat. Fidem præſtant locupletiſsimam innumeri, qui relictis gentilium ſtatis atq; ritibus, ſepoſita quoq;

eorum

eorum barbarica ferocitate, dum Sanctissimi Præceptoris Sapientiæ facundia per vniuersum orbem tumultuaret, apertis scripturarum promptuarijs doctrinæ eius odore deliburi, quam in docẽdo contra Gentiles mellificauerat, ex camelis columbæ, ex lupis agni, ex leonibus Christi oues effecti, dictu mirabile, mansuefacti sunt. Quanta in omnibus operibus consilij & optimi iudicij rectitudo, quàm fida rerum omnium sententia, & omnium prudentiæ partium insit integritas, multis quidem lubentissime prosequerer, nisi certô scirem illum laudem omnimodam promereri, quam me illum laudare dignum apparere. vnum tamen celare nequeo; ad miratus eius virtutem & eiusdem humilimum insigne & memorabile referendum puto, quod quidẽ vt verbis prosequi valeam, edico. Quidam ad magisterium promouendus cenobita, disputaturus contrariam partem Sanctissimi Doctoris aggressus est, quam antea Sanctissimus Præceptor in scholis docuerat, cumq; res delata esset in publicum, eidem cenobitæ disputanti nihil impugnauit, idq; quod maius est, æquo animo ac patienter tulit, ne verbum quidẽ vt specimen humilitatis Religiosæ patefaceret, & honoris gradum quem penitus cõtemnebat celaret, facere voluit; & quod mirabile dictu fratribus id ægre ferentibus, & eius patientiam, humilitatem, tantumq; factum silentio fugatum, & tolerantiam mirantibus, sedato animo ac mitibus (vt ei mos fuerat) verbis respondit. Tolerandam esse potius hanc imbecillitatem ingenij, etenim si tueri mea dicta in tanto consessu Magistrorum cuperem, vèrendũ certè mihi erat, ne nouus magister erubesceret, & exsibilaretur. Præclaram certe & laudabilem patientiam quæ tanta valuit sustinere, præclarum candidum animum, qui alium non cupit confutare; homines plerumq; gloriæ auidi, in publicis aliquo dono scientiæ circumfulti laudes assequi consueuerunt; Tu qui nõ modo Theologorum principatu, sed Angelorum tripudijs meruisti gaudere, non tantum letitiæ Angelicæ, sed Ecclesiæ Catholicæ lumen effectus es, attamen non solum non conquiris laudes, sed & honori parcis? Verum vt Sanctissimus vir humilitatem perficeret, ac obedientiæ ne videretur resistere, amore matris suæ Religionis S. (cui ille tantam gloriam comparauit) victus, id censentibus fratribus annuit, & in crastinum, quod silentio obuoluerat discutientibus Episcopis, ea quæ patienter tolerauerat repetenda duxit, ijsdemq; quæ Cenobita protulerat miro vocis ac verborum temperamento eô quô docuerat modo contradixit; Cumq; nouus ille Magister repugnaret, ac tueri pertinaciter quæ dixerat pergeret, ita Sanctissimus Doctor Angelicus eum summa cum modestia

conuicit

conuicit, vt audientibus omnibus fateri errorem suum cogeretur, veniamq; petijt, ac simul rogauit, vt se verius edoceret. Tanta igitur Viri Sancti patientia, mansuetudo, & animi moderatio, quam incredibilem omnibus qui aderant admirationem attulerit, vel inde agnosci potest: etenim eâ virtute quam quasi è cauernosis antris eruebat, non solum laudem assequi meruit, sed etiam eximijs mentis & corporis dotibus, animus repletus abundabat, sapientia & vnde nulla sperabantur, (si quidem bos mutus communi omnium Elogio apellabatur) tam grandia scripturarum educebat Mysteria, vt nemo qui ad eum accessisset ineruditus abiret, nemo qui veritatem ad eum oppugnaturus venisset, inuictus abscederet; errorũ nidores qui mortalium ingenia contraxerant, effluenti feruenti acrique orationis genere eluere contendebat, & munus debitum nunquam se exoluisse putabat, donec pulsis errorum tenebris, veritatem (quasi mortalium animos fugientem) Christicolas omnes erudisset, eandemq; imitandam proposuisset; cuius nanciscendæ gratia non tam in immortalium, quam in in corruptibilium naturas (S. Patrem Dominicum imitatus) velut in Columbarum agmen celer Aquila, totus feruens anhelabat. Iam vero vt ad longiora vos non extendam A. O. R. cum alia eloqui non valeam, sat mihi erit, cum eum vobis oculisq; vestris plus Salomone fecisse & docuisse refero, iis enim caruit Rex Hebreorum, quæ ille sublimi & alaciri præditus ingenio Diuinitus edoctus fecit, & docuit, omnia referens ad orationem, ope Sanctissimæ Trinitatis & B.V.M. asserens semetipsum proprjis viribus nihil posse consequi suffultus. Sed & quanto honore Sanctos Dei incolas præueniret, eiusdem monumentum reliquit; nam exponendo Sanctissimus Præceptor profunda Prophetiæ mysteria, mæstus animoq; inquietus, non valens difficultatem attingere, ad opem Diuinam Sanctorumq; Doctorum conuersus, ieiunijs & orationibus, abijs exposcebat Propheticum sibi arcanum recludi: meruit voti compos fieri, SS. enim Apostolos Petrum & Paulum se certificantes in dubijs obtinuit videre. O doctrinæ splendorem, lumen indeficiens, tu ne marcescere laudem permittes sapientiæ & scientiæ tuæ infusæ? tune contorta tabernaculi tapeta occludere, byssum & purpuram imperabis, lauream sapientiæ emeritam abycies? Angelorum quoq; choros pedes & faciem splendoris tui reuelandos impedies? Permittas soluere, segregare, recludere, reuelare, & tanquam è rota rotam virtutes tuas educere, nam id quod Abraam Angelis officium, Ioseph Ægiptijs, Moyses Israelitis, Iob patientibus, Daniel captiuis, tu vniuerso orbi ne dicam quibuslibet Christicolis, doctrina &

sapientiæ

ſapientiæ laurea emerita inſignitis præſtitiſti & exhibuiſti. Fælices dicam Parentes qui tanto lumine mundum vniuerſum Chriſtianum decorauerunt, tanto Doctore Eccleſiam donauerunt, fælicem Patriam, qui cæcam il/uminauit, ſuoque clariſsimo ortu adornauit: fælices hos dicam, ſed fæliciorē ordinem meū, quem non orbauit Dñus ſole, cui fulgorē tot exagitatū periculis non ademit, & vineam ſuam marcidam & ſqualidam plantatam in Ordine noſtro non reliquit; hanc omnes ſapientes ſummis laudibus celebrant, doctrinam, & ſapientiam, eiuſq; ſacram doctrinam amplectuntur; nulla apparet authoritas, nullus S. Doctor, qui ſcientiam eius non caleat, nullus eſt, qui eum impugnantē aliquem dum audit, non velit defenſare, nullus deniq; Theologus eſt etiam profundiſſimus, cuius Sacram & [illegible]imam doctrinam, ſcientiam non profiteatur, quam tota Eccleſia approbauit, omnibusq; ſectandam propoſuit. Efferūt Romani Pompeiū Magnū, qui cum ex Hieroſolimis Romæ Triumphū duceret, inter alia fercula Pompatica, quæ conuiuiū, ornare poterant animosq; conuiuarum recreare, Balſamum intulit (teſte Plinio) Romanis antea nunquam viſum, id delicijsne Romanorum adſcribendum aut aliquo lepori, vobis A. O. dedicendum relinquo, vnum refero. Nouum Salomonem, Sanctiſſimum Præceptorem Angelicum, effert nunc Religio mea, effert, tuetur, profiteturq; doctrinam, virtutes ſectatur alijſque ſectandas proponit, Tyronum oculis victoriam de mundo & dæmonum inſydijs ac cupiditatum illecebris referentem Tyronem, alumnum ſuum exponit imitādum. Virili ætate decoratum, humilitatem, patientiam, ſummam in orbe vniuerſo ſcientiam, & ſapientiam, (quæ quidquid fuit quidue futurum eſt edocet, ac inſtruit,) infert non Balſamum Paleſtinæ corruptibilem, ſed cæleſtes virtutes, infuſam doctrinam, quâ totum irrigauit orbem, mores Chriſtianiſſimos, ô fælix Religio quæ tantum virum, tantū inquam Solem luciddiſſimum (cuius radijs tot in toto orbe Religioſorum Monaſteria, tot deuotorum loca, tot virtutū ſedes, ac ipſa delubra illuſtrātur) produxiſti. Beatam inquam, quæ non modo ad glorioſsimam vitam laudandam, intelligentiam, ſapientiam, ſcientiam, doctrinam, optata Sacrificia, orationes, omneſq; eius virtutes humanas ſuperantes ſe vltro confert, ſed etiam eum protectorem tutellarem omnium Chriſticolarum oculis exponit. O iterum terq; quaterq; beatam. Extollit te vniuerſus orbis miratur & prædicat, mihi vero quid prius mirandum ſe obijcit vir Sanctiſſime, Doctor es Angelicus & meritô, etenim certô certius mihi conſtat, te conſcendiſſe Regnorum cæleſtium loca ſuprema, coronam de lapide præ-

tioſo

tioso, Diuinis manibus miro artificio elaboratam, pro tuis meritis accepisse, Angelorum deniq; vim, doctrinam, secretaq; Diuina occupasse. Sed ne videar lucem addere soli imo dicam potius radios, suffundere tenebris, nunc iam finiturus Orationem meam, à te Sanctissime Præceptor Ordinis mei Decus eximium, Sol refulgens, Lumen indeficiens, Scientiarum abijssus, ad pedes imaginis tuæ prouolutus suppliciter exposco, non imputes crimini sed ruditati & ignorantiæ, multo enim breuius de te dixi, quam amplissima hæc ferebat de te laudando materia, cuius laudes Sanctissimas virtutes, nec lingua mea valet dicere, nec si velim scribere litera e[illegible]primere, aut calamus exarare. Superest igitur cum iam plura eloqui n[illegible] aleam A. O. laudem Sanctisimi Præceptoris me edisserentem non c[illegible]na-tis, sed eo libentius signum complacentiæ vestræ præbeatis, [illegible] persuadens, & maiori eloquio vobis Sanctissimi Doctoris A[illegible] Ecclesiæ Præceptoris Sapientiam post hâc possim enarrare, & apud vos Auditores Nobilissimos, Ornatissimos omniumque virtutum genere cumulatissimos, omnique Sapientia & Eloquentia refertissimos, maiorem beneuolentiam ac fauorem conciliare Dixi.